UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 87. Finis Commentarii Pii II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66459

Visual Library

Sæcul. XV.
A. C. 1463.

§. LXXXVII.
Finis Commentarii Pii II.

Usque ad hunc annum procurrunt Pii II. commentarii. Hi ſub nomine Gobelini Perſonæ, qui eidem Pontifici a ſecretis erat, poſteris relicti fuere, & primum Romæ Anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto cura & opera Franciſci Piccolominæi Senenſis Archiepiſcopi publicam lucem aſpexerunt, demum Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto literis Francofordienſibus recuſi prodierunt.

Poſſevin. in appar. Sacr.

Voſſ. l. 3. de hiſt. latin. c. 10. & ſeq.

§. LXXXVIII.
Rex & Regina Angliæ in Scotia.

Poſtquam Eduardus, Eboracenſis Familiæ caput, Henricum VI. Regem in prælio Fariburgenſi devicerat, & Angliæ corona potitus erat, Lancaſtrienſium factio tam præcipiti lapſu dejecta eſt, ut eam reſtaurare nemo auderet. Interea Rex unacum Regina in Scotia fugitivus hærebat; Jacobus vero II. illius regni Rex fervente poſteriorum annorum tumultu Teviotiam obſedit, adverſo tamen ſucceſſu; quippe globus æneus, excuſſus e tormento grandiore die tertia Auguſti Juvenem hunc Regem nonniſi viginti novem annos natum in fruſta diſcerpſerat.

Polyd. Virgil. hiſt. Angl. l. 24.

Roxburg.

Eo